DE HEPATITIDE PARENCHYMATOSA SIVE SUPPURATORIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHICA
UT SUMMI
IN MEDICINA,
CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXX. MENSIS JULII ANNI MDCCCLXIV
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUILELMUS STROTHBAUM,
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
CHR. FINGER, DRD. MED.
C. FRIEDERICHS, CAND. MED.
C. KOTTRUP, STUD. MED.

GRYPHISWALDIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

Mirum nobis nequaquam videatur, morborum quibus hepar opprimi plerumque assolet, explorationem per multorum annorum decursum a mortalibus ad liquidum perduci non potuisse, cum praesertim non dubium sit, quin eius et structura anatomica et physiologica vis antiquitus aut omnino non perspecta aut falso memoriae prodita sit. Nam nisi anatomia atque physiologia adhibitis firma clinicarum animadversionum fundamenta iaci non possunt, quippe quae cum pathologia vinculis sint coniunctae tam artis, ut ii soli, qui penitus se dederint in haec studia, propriarum morbi alicuius notarum se esse peritos profiteri possint. Quo magis igitur quae de his rebus prava senserant priores medici, emendata erant ab insequentibus, eo magis etiam pathologiae ratio ad ipsius principia atque fontes reducta erat. Atque hepatis quidem pathologia magnis difficultatibus circumclusa tenetur, quia tenera huius glandulae structura et physiologica functio nondum omnibus partibus est expedita, licet per proxima decennia

multum nos profecisse in hepatis physiologia uno oer omnes consentiant, qui quidem recordentur, quae antea de hac re existimata sint. Longum est enarrare hoc loco, quam multae atque diversae de vi hepatis fuerint opiniones eorum, qui per saecula deinceps studiosi erant medicinae, et quoniam de hepatitide suppuratoria scribere animum induxi, permotus exemplo quodam huius morbi observato a me in nostro nosocomio, quod postea afferam, potius esse in rem mihi videtur, hoc loco pauca quaedam historica de hoc morbo praemittere.

Ac veteres quidem medici de hepatitide nihil fere pro certo affirmare poterant, qua de causa ex iis, quae animadverterant de hac re, perpauca probanda videntur, quo in numero sola sunt ea, ex quibus abscessu facto eluxit, re vera adesse hepatitidem. Cuiusmodi exempla iam ab Hippocrate illo observata atque descripta sunt. Postea hepatitidis generibus alii ascribebantur morbi, qui ab ea procul aberant; quo factum est ut statuerentur subtiliores quaedam differentiae modo ad formam spectantes, quarum principia ad ipsum hepar referri nullo modo poterant. Hae falsae sententiae usque ad XVII. p. Ch. n. saeculum propagatae ne tum quidem prorsus aut sublatae aut emendatae sunt, immo paullatim demum subtilissimis diligentissimisque studiis anatomiae talem esse percipiebant medici hepatitidem, qualis etiam his quibus nos vivimus temporibus, probari explicarique solet. Hepatitide varia cum hepatis elementa opprimi possint, interest inter hepatiti-

dem parenchymatosam qua affectae ipsae hepatis cellulae inflammatae prohibentur quominus se alant, atque inter hepatitidem interstitialem, quae effecto textu celluloso eoque permulto, qui postea astringitur, insignis est. Praeterea etiam syphiliticam hepatitidem et pylephlebitidem novimus. Sed cum in animo mihi sit, una de hepatitide parenchymatosa sive suppuratoria agere, neglectis ceteris hepatitidis generibus modo dictis, iam ad id quod proximum mihi proposui accedam. Hanc veram hepatitidem coniunctam cum purulentatione iam antiquitus perspectam et descriptam esse supra dixi. Hac nostra aetate multa eximiaque de hoc morbo literis mandata sunt ab Abercrombie, Stokes, Twinning, Annesley, aliisque multis clarissimis viris pervestigandi studio imbutis.

De Pathogenesi et Aetiologia.

Oblata hac hepatitidis forma quae parenchymatis hepatis permutationes observantur, ad ipsas hepatis cellulas pertinent. Initio quidem intumescunt recepta substantia quadam albuminosa, deinde dilabuntur cellulae una cum hepatis parenchymate, postremum lacunae hepatis accedunt impletae dilapsis glandulae elementis. Haec hepatis aegrotatio ad eas quidem zonas quae temperato utuntur caelo, raro accedit, contra crebrius sub nimium propinquo sole apparet. In hanc sententiam Schoenlein: „Florentem in aetatem, inquit, hoc malae valetudinis genus

incidere plerumque solet, ita tamen ut posterior illius pars magis hoc malo afficiatur. Et ferventia solis aestu et palustria loca, quae aëre utuntur cum nebulis humoreque permixto, maxime ab hoc morbo frequentantur, contra per montes raro atque sub exactum modo auctumnum ingreditur. In iis terris Europaeis, quae prope mare sitae fluvio compluribus effuso oribus quasi delta a tribus partibus aqua circumclusae sunt, quo in numero est et Batavorum terra et qua Rheni ora patent et quae Padi et Istri oribus lambuntur, ibi morbus longe lateque serpit. Frequentissime autem incidit in eas regiones, quae summo solis ardore aduruntur. Ad unum omnes, qui has res undique circumspexerant, id spectabant praecipue, ut certam morbi causam invenirent, sed inter omnes convenit, semper fere hoc esse difficillimum vel nullo modo fieri posse.

Ac primum quidem omnes, qui de hac re scripserunt, mechanicos impulsus respiciendos esse statuerunt, quo in genere sunt pulsus, ictus, plagae, casus. Quam in rem qui parum diligenter inquisiverint persuasum habebunt, aliis multis aegrotationibus cum hac comparatis, corpora non raro ita afflicta saepissime hepatitide opprimi, sed haec sententia restringenda mihi videtur. Nam violentissimi impetus, lapsus praeceps in profundum, in corpora praeacuta, quaeque alia huius generis sunt, nullo cum detrimento perferuntur, sive quod in loco tutissimo situm est hepar, praemunitum costis, sive quod facillime loco suo moveri potest. Qua re efficitur, hepar alienum

esse ab incensione, quae excitatur laesionibus, quod satis probatum est „Buddi“ animadversionibus, qui cum sexaginta huiusmodi exempla diligentissime collegisset, unum mechanico impulsu ortum vidit.

Multo saepius, quam haec traumatica hepatitis, invenitur ea, quae metastasi conflatur. Quamvis perlucidum nunc sit, quomodo metastasis pulmonum exsistat, quibus tamen causis similia hepatis mala progignantur, usque adhuc nondum in lucem prodiit. Omnes cavi abdominis venae, quae in Venam portarum sanguinem suum inducunt, inflammatione implicari possunt, quae a vicinis partibus morbo correptis transire ad eas plerumque assolet. Quomodo, ut alia transeam ex herniotomia et variis intestini recti operationibus phlebitis profecta est, unde postea abscessus hepatis erupit. Qui enim thrombi eius vel frusta ex phlebitide nascuntur, paulo post abluuntur ac propelluntur, deinde, qua una via incedere possunt, ramorum venae portarum emboliam efficiunt, ex qua morbus cooriatur necesse est. Etiamsi nondum certis argumentis probatum est, hoc ita fieri, ut modo dixi, adducimur tamen ad hanc sententiam quasi coacti atque convicti, iniectionem aut translationem perniciosorum elementorum ad hepar causam esse morbi. Quod experimentis quoque ab Cruveilhier demonstratum, qui alienis corporibus in venam mesentericam aut alium venae portarum ramum inductis paulo post permultos ex hepate quasi foculos puris procreatos vidit. Multo facilius intelligi potest, quemadmodum abscessus hepatis progigna-

tur ex pylephlebitide, quod pluribus verbis persequi operae pretium non est. Verum illud in medio etiamnunc nobis relinquendum, utpote quod sit nimis incertum atque obscurum, qui fiat, ut ex venis magnae sanguinis circulationis inflammatis hepatis incensio manare possit. Hoc unum constat, ex vulneribus, thrombis, gangraena, parenchymatosam hepatitidem exstitisse. Sed etiam hac oblata specie morbi maxime iis assentiendum mihi videtur, qui ab embolia eam derivent, quamquam haec quaestio est difficillima. Thromborum frusta non recta via a partibus periphericis ad hepar perveniunt, sed longa neque omnino expedita spatia decurrenda sunt, priusquam in illud intrare possint. Ab eo loco circulationis, quo nascitur embolus, apertam viam ingressus usque ad cor ne hic quidem remoratus in pulmones fertur, ubi procedendi facultas multo minuitur. Etiamsi plurima illa corpora aliena retinentur capillaribus pulmonum perangustis, singillatim tamen tenuissima eorum penetrantia quae arteriarum sanguis secum aufert fibrino imbuta per aliarum corporis partium capillares in hepar ingressa inflammationem et purulentationem excitant, unde morbus originem trahit. Laeso capite haud raro abscessus hepatis inveniuntur, cuius rei exempla in iis libris qui sunt de chirurgia conscripti, permulta enarrantur, neque tamen angustiore vinculo caput cum hepate coniunctum esse existimemus, dummodo id nobis persuasum sit, cranii vulneribus, quae usque ad diploën porrigantur, facillime meta-

stasin, quin certis quibusdam conditionibus metastasin hepatis elici.

Jam transeamus ad alteram quaestionem, quam mihi proposui, quatenus dysenteria pertineat ad hepatitidem, quoque modo haec ex illa proficiscatur. Jam pridem eorum virorum sententiam sequimur, qui duos hos morbos nexu quodam causarum arctissimis inter se vinculis cohaerere putant; per longum tempus multi nihil antiquius habebant, quam ut explanarent, quas ob res duo morbi iterum iterumque inter se quasi manus implicarent, neque tamen usque ad ea quibus nos vivimus tempora certa stabiliaque argumenta aut in promptu habemus aut afferre possumus. Alia aliis placent. Alii, qui incensionem membranorum mucosorum intestini in bilis vias translatam etiam hepatis parenchyma afficere posse contendunt, non recte iudicare mihi videntur, quia hac ratione hepatitis omnino conflari non potest, alii in ea sententia acquieverunt, quae proxime ad verum enisa nunc quidem ab omnibus fere probata a Ribes, viro doctissimo, aperta est. Atque huic quidem placet, incensione ab aegro intestino in venas traducta hepatis incensionem evadere. Ex dysenteria phlebitidem radicum venae portarum emanare abscessus hepatis secum ferentem. Cuius partes secutus ipse quoque Budd eam, quae ulceri simplici, carcinomatoso ventriculi succedit a phlebitide derivat. Et idem contendit, gasis foetidis et liquidis contentis resorptis ex intestino crasso dysenteria oppresso adeo venae portarum sanguinem inquinari, ut hepatitis efficiatur.

Quod verum esse quamquam nondum plane compertum est, tamen verisimillimum esse non negem. Accedit quod haec quaestio eo pluribus difficultatibus est obstructa, quo facilius tenuissimarum intestini venarum incensio negligentia praetermitti potest. In nostris finibus nunquam fere ad dysenteriam hepatitidem accedentem videmus, neque semper in iis terrae partibus, ubi maxime ardent solis calores, anteit dysenteria hepatitidi, immo vero multi praeclarique viri sunt experti, hanc esse priorem, succedere ei dysenteriam, si mimus, simul cum ea progigni aut per se ipsam salvo intestino excitari. Praeterea concrementa e bili nata non raro in angustiis eius comprimuntur, inflammationem et purulentationem viarum bilis procreant, afficitur hepatis parenchyma, oritur hepatitis cum abscessibus. Eodem modo etiam alia corpora aliena imprimis ascarides hepati detrimento essé possunt. Huius modi hepatitidis exempla a nonnullis medicis allata sunt. Caveamus autem, ne existimemus, unamquamque hepatitidem his causis, quas modo dixi, effici, permultae hepatitides qua ratione ortae sint saepenumero exquiri non potuit.

Permutationes pathologicae quibus loca illa nimium affecta morbo sunt exposita, secundum longiora aut breviora temporis spatia, per quae morbus ad altiorem gradum pervenit, inter se discrepant, nunquam per totam glandulam aequaliter diffusae uno loco aut compluribus inter se vicinis cernuntur, ut ingravescente malo aut unus abscessus aut complures minores qui postea confluunt, existant. Permu-

tationes, quae ingruentem morbum prosequuntur atque insigniunt, usque ad nostram memoriam a paucis medicis diligentius pervestigatae sunt. Hac occasione oblata non ab re esse videntur quae Frerichs ipse est expertus: „Beim Beginn des Processes fand ich die erkrankte Stelle der Leber theils geröthet, theils blassgelb gefärbt; die Röthe war am Rande verwaschen und verlor sich hier in einen breiten gelblichen Saum. In der Mitte bemerkte ich in einem Falle einen mit geronnenem Blute gefüllten Pfortaderast; die blassen Heerde enthielten stellenweise ockergelbe Pigmenthäufchen, die Läppchen waren hier bedeutend vergrössert und mit blassgrauen, durchscheinenden Höfen umgeben." Haec loca hepatis hyperaemici pallida luridaque, quae insigni erant mollitudine prope superficiem sita abscessibus sunt simillima. Cellulae hepatis sunt turbatae atque obscurae, paulopost permultae dilabuntur, quae etiam tum supersunt, tenuissimis granis obteguntur. Quae cellulae postremo et ipsae dilabuntur et relinquitur detritus. Sic abscessus hepatis efficitur, qui multo saepius observatus est quam quae antecedunt. Jam vero cum in eam rem inquisiverimus, quibus rebus compositus sit abscessus, pure eum constare facillime cernemus, lactis flori simillimo, admixta bili viridi colore infecto. In abscessibus autem hepatis, qui bilis concrementis aut ascaridibus effecti sunt, res illae insunt. Terminus abscessus siquidem recens est, substantia est hepatis emollita, quae quasi hirsuta in cava eminet; postea demum variae permu-

tationes existunt. Quae partes prominentes ipsae dilabuntur, superficies levigatur salva forma rotunda, quamvis procedat malum. Tollitur haec forma rotunda vicinis inter se cavis confluentibus unde sinus evadunt. Abscessu per aliquantum temporis perducto ne amplius etiam hepatis parenchyma evanescat, praecaveri potest effecta circa abscessum textus cellulosi capsula intra quam vasa oriri possint quibus resorbantur elementa abscessus, ut cicatrix modo remaneat. Jam vero si purulentatio hoc remedio, rarissimo illo quidem, non tollitur, pus in vicinas partes erumpit et dispergi potest in cavum abdominis, in eius organa, in ventriculum, in intestinum, praeterea in cavum pleurae aut in pulmones. Altera etiam est via qua pus incedere possit, cum foras sibi aperiat transitum per pectoris aut ventris parietem; aliae, quam quas modo enumeravi viae, quas abscessus ingredi possit, neque unquam fere reperiuntur neque pluribus eas verbis exponere operae pretium est. Situs abscessus incertus atque dubius est, si omnia computaverimus, in dextro saepius quam in laevo hepatis lobo abscessus nascuntur, ex Haspelii observationibus 30:1. Circuitus aliorum est alius, plerumque singuli non complures eodem tempore in glandula observantur.

De Symptomatis et Decursu.

Exordium mali quum sit sub permultis casibus, difficillimum est veram certamque morbi imaginem

exprimere. Ac primum quidem fieri potest ut in vivo corpore nulla morbi nota in perniciosissimum illud hepatis malum animum nostrum advertit. Andral, Abercrombie, alii, huiusmodi exempla protulerunt, unde ne minimum quidem hepatitidis symptoma elucebat, immo vero ea cernebantur, quae ad alios morbos pertinebant, ut obductione demum appareret quae fuisset vera mortis causa. Alias symptomata morborum qui aut sequuntur hepatitidem aut antecedunt, maxime in lucem prodeunt, cum proprium mali principium aut omnino non perspiciatur aut perturbationibus modo exiguis, quae facillime praetermitti possunt. Quod quidem saepissime nobis occurrit oblata ea hepatitide, quae ad necroticos morbos abdominis, ad dysenteriam, ad gangraenas ad laesiones capitis, ad magnas operationes chirurgicas accedunt. Symptomata quae has res prosequuntur varie explicari possunt neque omnino certum praebent hepatitidis indicium. Haec habui quae dicerem de immagine hepatitidis secundariae. Symptomatum quae facilius explicentur series in ea hepatitide sola invenitur quae laesionibus effecta est. Ac primum quidem impulsus externus locum morbi significat quaeque in eo observantur ad solam hepatitidem pertinent, cum in hac forma complicationes non existant. Dextrum hypochondrium intentum facile perturbatur externo impetu. Dolor plerumque haeret in dextro hypochondrio; obtusus modo atque profundus, modo violens et quasi pungens interdum usque ad dextram claviculam et dextrum humerum ascendit. Stokes

putat, pluris aestimatum esse hunc dolorem, nec minus Abercrombie constans eum symptoma hepatitidis non esse existimat. Hepar tumet, aegrotus saepenumero uni lateri incubare non potest, accedit dyspnoë, aër dextro modo latere pulmonis respiratur, addita tussi sicca, quam iam Hippocrates cognovit. Adsunt saepissime taedium et nausea, aegrotus vehementer sitit, lingua contegitur, cutis ardet, atque aret, pulsus fit celerior; ad haec omnia ardens febris accedit. Defaecatio modo astringitur modo fit crebrior et biliosa. Symptomata quae hepatis abscessum prosequuntur modo adeo sunt expressa ut ex iis morbus qualis sit, distincte appareat, modo tam obscura, vix ut hepar sedem esse mali intelligamus. Plerumque tamen hepatitidis impetus communes etiam purulentatione excitata perseverare, quin qui iam adsunt non raro novis augeri solent. Neque vero semper una cum purulentatione frigus evadit, immo Twinning quidem illud symptoma afuisse persaepe se expertum esse confitetur. Maioribus abscessibus pulsus semper fere supra centum ascendunt, fiunt leniores, corpore motu aliquo percusso magis incitantur, quo in numero id maxime est vitandum ne aegrotus erigatur, cum antea incubuerit lecto. Accedunt sudores frigidi, qui angorem atque tristitiam produnt, interdum febris cum ea maxime conferri potest, quae phthisin pulmonum prosequitur, quod quidem imprimis hominibus macris accidere solet. Iam vero si agitur ea res quibus maxime locis cernamus purulentationem, intendamus animum in auctum

hepatis tumorem, qui diligenti accurataque percussione percipi potest. Musculi ventris, imprimis musculi recti abdominis valde sunt intenti, intra pectus oppressio quaedam sentitur.

Hepate adeo aucto, ut costarum sinum superet propiusque convexam superficiem abscessu apparente quod quidem est usitatum, thorax in hanc partem amplificatur, eminet pars regionis hypochondriacae dextrae modo magis modo minus circumscripta certis finibus. Qui concavam hepatis superficiem propius sunt abscessus saepe nauseam excitant. Adhibita palpatione diligenti interdum consequi possumus, ut protuberantias cernamus paulum cameratas, quin ut fluctuationem quandam sentiamus. Multi medici icterum habent constans symptoma hepatitidis quod re vera non sic se habet; tum modo accidit, cum magni foculi inflammationis aut abscessus ductus biliferos comprimunt vel alia eorum obstructio adest, qua bilis retinetur; unde fit, ut resorbeatur. Iisdem causis, praecipue si abscessus in superficie concava situs est, vena portarum comprimi potest, qua re effusio serosa efficitur in cavum peritonei. Digestionis organorum vires hepatitide praesente plerumque non turbantur: demum purulentatione apparente morbo afficiuntur, lingua contegitur, vomitus oriuntur, appetitusque desideratur. Organa autem respirationis magis disturbantur, quod ab acerrimis doloribus vel ab amplificatione nimia hepatis, ab inflammatione in pleuram vel pulmones traiecta pendere potest. Dyspnoë inde evadit, quod aegroti respirantes propter

vehementes dolores diaphragmate non utuntur, sive quod organo amplificato pulmo loco suo sublime expellitur et comprimitur. Iam vero liceat mihi pauca quaedam dicere de ea re, qui sit exitus morbi huius gravissimi. Ac raro quidem, qui hoc morbo vitam in summum periculum vocante oppressi sunt, restituuntur in priorem valetudinis statum, plerumque aegroti diem supremum obeunt. Si abscessus in exteriorem partem erumpit, vel si eruptio omnino non fit, aegroti diutius morbo cruciantur. Iisdem cum symptomatis, quae in aliis chronicis purulentationibus observantur, aegroti morte abripiuntur. Citius morti occumbitur, si pus in cavum peritonei aut in pericardium effunditur.

Peritonitis et pericarditis diffusae celeriter oriuntur, quas dies supremus sequitur. Tardius quidem morbus procedit, mortem tamen semper affert, si in bronchia vel in intestinum erumpit. Licet aegroti dolores per punctum temporis deleniantur, ut gaudio de hac re afficiatur, tamen e vitae discrimine non ereptus est, sed destinatus ad longiores cruciatus, qui tum finiuntur postquam purulentatio procedens febrisque vires plane contriverunt.

Prognosin, cum ad ea, quae iam diximus respiciamus pluribus explicemus non necesse est. Hippocrates, lethales, inquit, sunt illi abscessus, qui effundunt in intro.

De Diagnosi et Therapia.

Diagnosis hepatitidis suppuratoriae difficilis est: sperandum non est, fore ut omnia symptomata reperiantur, quoniam plurimi eiusmodi morbi per occultum decurrunt aut aliis malis, quae magis apparent, obteguntur. Si regio hypochondriaca dextra gravius laesa est, symptomata, quae supra attulimus, diagnoseos difficultatem deminuunt. Sed huiusmodi basin, quae fallere nunquam possit, perraro assequimur. Quamvis maxima cum diligentia interrogando et percunctando examinaveris aegrotum, paucae res inveniuntur, quae indicium aetiologicum nobis afferant, unde argumenta colligi possint. In ardentibus quidem terrae regionibus nescio an res habeat se aliter: ad nostram quod attinet terrae regionem, cavendum est, ne varia morbi symptomata in diagnosi inter se confundantur. Homines parum accurate observantes non recte saccos in quibus insunt echinococci, abscessum esse, putent, quem errorem effugere possunt ii soli, qui paulo subtilius percunctati sint rem: echinococci lente crescentes dolorem nullum provocant, non febrim, non alendi turbationem afferunt. Palpationem nos magna cum diligentia exercere oportet: echinococcis praesentibus animadvertemus id quod Piorry primus commemoravit, quodque ab eo nominatum est „frémissement hydatique", cum in abscessibus fluctuatio quaedam percipiatur, siquidem hoc fieri potest. Sed si echinococci putrescunt, res nondum ut antea sim-

plex est; nulla res nisi anamnesis diligens prohibere potest, quominus rem cum aliis permisceamus. Praeterea licet tumorem instrumento, Troicart, pungere, et aliquid liquoris chemice perspiciatur: qui si natron succinicum praebet, echinococci adsunt: quo absente liquor ex abscessu effluxit. Alii hepatis tumores haud ita facile cum hepatitide confunduntur. Qua in re, quid rectum sit, cognitu non est difficile.

Nec perniciosas illas res, quae hepatitidem provocant, a corpore removere, nec vim, quam hepati inferunt, disturbare possumus. Dysenteria est morbus, qui cum in regionibus illis, quae maximo solis calore aduruntur, endemicus sit, iterum atque saepius nascitur mataria illa, quae removeri non potest; neque est quisquam, qui herniotomiam aut aliam quandam operationem, cum timeat, ne hepatitidis auctor sit, praetermittat, nam ut hepatitis praeverteretur, quam orituram esse nemo pro certo affirmare posset, morbum vitae non minus imminentem servaret. Hepatis morbus levari potest, prout processerit; si morbus in stadio inflammationis cognoscitur, omnibus viribus adhibitis petendum est, ut oppugnetur et dissolvatur. Primum locum hac in re gelida fomenta obtinent, quae regioni hypochondriacae dextrae applicantur; quorum usum qui in inflammationibus organorum intestinorum commendaverunt, haud satis praedicari possunt. Optima enim huius generis exempla observantur in pneumonia tractanda, atque idem assequeremur, etiamsi non in omnibus hepatitidis formis, tamen in hepatitide trau-

matica, dummodo in tempore adhiberentur. Praeter fomenta frigida hirudines apponendae sunt ad anum. Quarum usus venarum sectione, cum saepissime aegrotis cum damno adhibita sit, maxime praeferendus est. Venarum sectione interdum utimur et in pneumonia tractanda et in hepatitide, quam tum modo prospere processuram esse sperare possumus, cum laesionibus effecta et in robusta incidens corpora multis doloribus, tumore, dyspnoë coniuncta est. Morbum nequaquam repulsat, contra corpus privat viribus, quibus purulentatione incidente valde indiget. Hirudines quae ano appositae sunt, sanguinis copiam venae portarum deminuunt. Quarum quantopere venarum sectioni praeferendus sit, in promptu est, nec pluribus verbis persequendum. Certe Goupil, qui vehementer in hirudines ano apponendas invehitur et venarum sectioni studet „Exposition des principes de la nouvelle doctrine médicale pag. 551“ hoc quidem tempore non multi sequuntur. Tum, cum inflammatio medicamentis, quae iam memoravimus, cedere non vult purgantia adhibenda sunt. Secretio intestini his medicamentis aucta circulationem iuvat. Quibus purgantibus uti velis non multum interest; Calomelas, salinaria, ol. Ricini, alia quaedam mitia purgantia adhiberi possunt. Vomitaria in hac morbi parte eadem, quae purgantia, efficere solent, cum catarrhum quoque gastrointestinalem minuunt; postremo si inflammatio medicamentis supra memoratis non esset, sublata vesicantia summae utilitati fuisse constat. Ad reprimenda

diversa symptomata medicamenta quaedam non adhiberi non possunt, quo in numero est opium, chininum, ferrum. Labore ad tollendam inflammationem frustra suscepto, nihilominus purulentatione orta aegroti vires ne comminuantur summa ope niti decet: abscessus quam celerrime aperiendus est, nam eum ex quo pus deletae hepatis substantiae sanguini mixtum effluxerit, facilius levatum esse quam illum, ex quo pus bonum et laudabile, multi saepenumero experti sunt. Quae ratio medendi in iis tantum abscessibus adhibenda est, qui adiacent convexae hepatis superficiei, ceteri cum ad unum omnes propulsari non possint. Quomodo in aperiendis abscessibus procedatur, parvi est momenti, modo inflammatio adhaesiva progignatur inter peritoneum viscerale hepatis et peritoneum parietale abdominis, qua impediatur pusne in cavum abdominis transeat. Quod optime nobis continget secutis rationes medendi eas, quae a Bégin et Récamier sunt inventae. Atque illae quidem, quo loco fluctuatio manifesto sentitur, cultro dissectis musculis abdominis et peritoneo vulnus linteolis carptis claudit. Paucis diebus post effecta coniunctione inter hepar et vulneris margines abscessus aperiri potest. Paulo tardior quidem, sed optimo successu est ratio a Récamier prolata, qui abdominis musculos medicamenttis causticis perrodit, donec abscessus sit apertus. Pure sublato ita morbo obviam, ut iactura corporis virium evitetur, quae diuturna cum purulentatione cohaeret, atque ut abscessus claudatur.

Historia morbi.

Fridericus Jahnke, 25 an. n., caementarius, quum per iuvenilem aetatem morbo nunquam esset afflictus, d. D. m. Aug. a. p. C. n. 62, quo anno militiae munus sustinebat gravissimo morbo subito est obrutus. Frigus enim, quo subito erat affectus, cum aestus subsecutus esset haud longo tempore intermisso gravissimo capitis dolore vexatus, et cibos recusavit, et diarrhoea afflictus est: vomitus non intererat. Itaque cum octo fere dies in medicorum manibus fuisset, gravibus in dextro latere doloribus cruciatus est, qui ut coercerentur et fomentis involutus est, et hirudines adpositae, quo facto, sex hebdomadibus praeteritis clinicum aegrotus reliquit, plane refectus, parvo in dextro latere tumore excepto.

Sed medio mens. Oct. denuo dolores, quibus iam antea in dextro latere vexabatur, renovati sunt, ita ut usque ad finem anni solitos labores suscipere non posset. Vomitus et icterus neque antea neque tunc intererant, paulatim ventre fomentis involuto vis doloris fracta.

Per tempus aestivum, J. quum muneri obeundo nequaquam esset impar, tumore, qui ex priore morbo manserat, in dies aucto atque amplificato, quamquam doloribus non angebatur, tamen, ubi aut velocius incedebat, aut vehementior erat in labore, parvo tempore exanimatus, spiritum ducere non poterat. Itaque in nosocomium nostrum se contulit.

S. p. Si abdomen consideramus, hypochondrium

dextrum invenimus valde prominens, erecta columna vertebrali usque ad lineam umbilicalem atque medianam, ita ut totum fere latus curvatum videatur esse. Praeterea autem usque ad cristam ossis ilei transfixerunt hirudines. Summus tumor omnino laevis est, musculis ventris in ipso bene sunt contracti, inferiora intercostalia sursum ad sextum plane expleta, costae ibidem valde extentae. Tumor, qui maximus est in linea mamilari, ubi 17 Ctm. trans sinus costarum prominet, quum dextrorsum sinistrorsumque finem habet non satis perspicuum, ubique adstrictus atque solidus est, et, ut videtur, fluctuans. Tremorem contra hydaticum non animadverti. Tumor paullatim minus adstrictus, qui sinistra ad lineam medianam, dextra trans hypochondrium et costam prominet, paullum descendit, si aegrotus spiritum ducit. In linea mammillari sub mammam in percutendo sonum audivi obtusum, item usque ad eum finem, quem supra dixi, summa est 27 Ctm. Idem est sonus in linea sternali ab initio processus xiphoidei deorsum per spatium 15 Ctm. Sonus plane vacuus non est, sed tympanorum more; in linea axillari per spatium 26 Ctm. obtusus est sonus. Ab angulo scapularum deorsum contusionis initium respondet contusioni lineae axillaris fine non satis perspicuo. Quum plurimum inspiratur, contusio lineae mammillaris loco movetur, ita ut paene 4 Ctm. intersint, in fine inferiore contusionis 3 Ctm. intersunt. Quae quum ita se haberent, et diaetam et defaecationem in ordinem redigendam curavimus. Die XIII. m. Nov. summus tumor

punctis notatus est, quibus, ni fallor, vj ℥ liquoris purulenti, nihil olentis emittebantur.

Quum in hunc liquorem chemice inquireretur neque natron succinicum inventum est quod si in sanie infuisset, echinococcos in hepate esse indixisset, neque, quum per microscopium inquireretur coronae unciatae enchinococcorum. Aegrotus, quum pungebatur, angore captus, et ineptae et altius respirabat, prout troicart et descenderet et ascenderet. Statim post punctionem vulnere fomentis compresso, cataplasmata ex glacie confecta in abdomen immissa sunt, intus saturatio data. Sub vesperum eiusdem diei dolores remiserant; mane, quum in abdomine percuteretur sonus tympanorum instar auditus. Inferior pars ventris, quum a dextra comprimebatur, dolores progenuit; contra ea pars corporis in qua hepar sedem habet, iis exceptis locis, quae punctis notata supra dixi, dolores non movit. Hinc tamen dolores ad humerum dextrum pertinebant; defaecatio retenta, vomitus non erat, pulsus ut solet. Sub meridiem dolores alvi augebantur, abdomine magis magisque tumescente; quo facto aegrotus bis cibos evomuit, qui nondum virido colore erant infectis. Nausea tamen non pulsa, quamvis, ut pelleretur, aegroto et pilulae glaciales et morph. gr. $\frac{1}{4}$ data esset, dolores nequaquam sedati valde augebantur atque amplificabantur. Item meteorismus ventris magis magisque augebatur; pulsus celerior solito. Sub vesperum, quum fistula per anum immissa aurae foetidae ex intestinis essent eiectae, quumque et

dolores et tumor minutus esset pulsus ad solitum morem rediit, quia febri aegrotus omnino non vexabatur. Postea non modo fomenta glacialia corpori involuta et pilulae glaciales data sunt, sed etiam xij hirudines abdomini adpositae; quae quum multum sanguinis hausissent, aegrotus mox in somnum incidit et per totam noctem optime dormivit. Sole orto, postquam denuo ingesta evomuit, dolores et tumor abdominis minuti sunt, nausea tamen mansit, quum temperatura non esset calidior, pulsus ut solet. Auras foetidas bis postea per fistulam emittere coacti sumus, quia tumor et dolores denuo augebantur. Quo facto dolores remittebant. Venter, quum tumor remitteret, paullatim et mollitiem solitam recepit, neque doloribus erat cruciatus. In urina sedimenta uratorum inerant. Quae quum ita essent, neque glacies porro immissa, neque saturatio adhibita. Aegrotum reliquisse lectum nequaquam poenituit. Datum est porro Kal. jod. ʒj ad Aq. destill. ℥vj, cochlear tertia quaque hora. Tumor praeterea Kal. iodat. perunctus. Quibus remediis quum tumor tantum abesset, ut recederet, ut nihilo minus magis magisque cresceret atque indies adstringeretur, ita quidem, ut interdum aegrotus doloribus afficeretur, qui radiorum instar ad humerum dorsumque pertinebant, quumque hoc modo sanitas restitui omnino non posset, die XVI m. Jan. abscessum aperiendum statuimus. In inferiorem tumorem pasta escharotica Viennensis ita immissa est, ut duas fere lineas in altitudinem, duo digitos in longitudinem pertineret.

Quae pasta, duas horas tumori imposita crustam effecerat, quae quod colorem attinet et rava et atra poterat appellari, quae spatium obtinebat non multo maius, quam antea pasta. Dolores autem, pasta imposita initio graviores, post minuti sunt, brevi tamen tempore alvi dolores excitabantur, quos vomitio secuta est, quae per noctem bis, ter postero die repetita simul cum alvi doloribus die XIX exstincta est. Vulnus fomentis involutum, quae tepido aceto erant imbuta, quum eodem die crusta ac cute nondum soluta, iam fasc. muscularis esset corrosa, quinque diebus post haec quoque per fossa, in latitudinem auctum, magis magisque circuli videbatur habere speciem. Crusta in summa vulneris margine resolvi coepta, quum musculis paene perfossis die XXVIII tota in margine plane soluta, ita ut nisi intenium vulnus nihil expleret, die IV m. Feb. plane erat soluta. Sed in margine et mox in fundo vulneris granulationes exstiterant. Quae ut removerentur post tres dies denuo pasta esch. Vien. fundo vulneris imposita plus dimidiam horae partem retenta est. Praeterea iuxta vulnus spatio duorum digitorum intermisso denuo pasta tumori imposita plus unum horam retenta. Quum pasta esset remota, ambo vulnera ut antea fomentis involuta sunt. Postero die, quum alvi dolores nulli essent, vulnus solum ureret aegrotum, paucis horis praeteritis illi redierunt imprimis inter duo vulnera. Vomitio non aderat, appetitus ut solet, item defaecatio. Praeterea alia morbi indicia reperta sunt nulla; crustis paullatim

solutis post X dies vulnera omnino erant detersa. Sed quum tumor nondum satis esset perrosus, interdum Kal. caustic. stringendum curavimus. Quo facto in fundo prioris vulneris foramen exstiterat. Porro post VII dies quum ambo vulnera eiusdem essent altitudinis, si quis paulo attentius erat, fundum ascendentem quum exspirabat aegrotus, quum inspirabat descendentem potuimus videre. Itaque fieri non poterat quin mox vulnerum fundi perfringerentur, quod die IV m. Aprl. accidit, ita ut fomento summa cum diligentia remoto complures unciae effluerent liquoris perlucidi albuminosi. Sub vesperum quum quadrantal liquoris minus lucidi subviridis exhaustum esset, aegrotus plane valebat, nam tumor abdominis aperte minuebatur; die VI caput et aestum dolebat, pulsus celerrimus 104, temperatura 38,9. Liquor ex abscessu hoc die nullus, postero vero et sub solem et hora X et prima noctis priori simillimus profluxit, postea complures unciae puris boni et laudabilis. Idem fere fiebat in sequentibus diebus ubicunque fomentum removebatur. In abdomine contra, neque liquor inerat, neque dolores excitabantur. Hoc modo quum compluribus diebus pus profluxisset, die XII os vulneris ita erat contractum, ut profluere nihil posset. Itaque spongiis compressis vulnere distracto fiebat, ut ubicunque spongiae removebantur pus effluerẹt, quod, interdum eruore mixtum, foedum spargebat odorem. Liquor a die VI m. Maj. per cathedram femineam effluebat, quae sex digitos in cavum abscessus penetrabat,

sed quum liquor, qui deinde profluebat, foedissimi esset odoris Kali hypermanganicum valde extenuatum in cavum abscessus iniectum est. Quo iniecto neque dolores moti et foedi odoris retenti sunt. Die XVIII Maj. aegrotus, quum antea, ut ipse quidem aiebat, omnia membra singulari quodam modo quasi extenta essent atque porrecta, horrore repentino quassatus, aestu, capitis dolore, sudore est vexatus; haec omnia post tres dies eodem ordine redierunt. Kali. hyperm. iniecto, quum pus, ut antea, aquae instar liquidum esset atque perlucidum, liq. ferri sesquichlorat. ℈j ad aq. ℥vj addidi. Ne hoc quidem iniecto dolores movebantur. Postero die aegrotus iterum horrore est quassatus, aestus non secutus est. Die XXIII et horror redierat et aestus capitisque dolor aderat. Pulsus 108; temp. 39,6°; itaque vesperi chinini sulph. gr. v bis, mane denuo bis data sunt. Mane puls. 76, temp. 37,3°, vesperi, quum horror abesset, puls. 92, temp. 38,4°; Liq. ferr. sesquichlorato iniecto odorem quidem foedissimum spargebat pus, attamen multo minus liquidum erat; alternis igitur diebus illae res datae sunt. Die XXV horror afuit, XXVI hora XVI iterum per dimidiam horae partem horrore atque frigore quassatus est aegrotus, quem aestus, capitis dolor, sudor, ut antea excipiebant; puls. 116; temp. 40,3°; die XXVII mane puls. 72; temp. 36,6°; vesp. puls. 68; temp. 38,0°; die XXVIII mane puls. 72; temp. 37,7°; vesperi, quum iterum horror aegrotum vexasset, puls. 100; temp. 40,0°; Cal. Jun. iidem erant morbi indices puls. 96, temp. 39,6°.

Itaque aegroto, quum horrore quotidie vexaretur, quatuor diebus ter per diem gr.ij chinini sulph. data sunt. Quo facto usque ad diem VI horror non redierat; chininum igitur porro non datum. Quae ex abscessu profluebant, perliquida erant, colore fusco, odore penetrante. Itaque quum quotidie liq. chlori maxime attenuatus iniectus esset, et pus minime erat liquidum, et quae profluebant, quamquam foedissimi odoris, tamen non ita multa. Usque ad diem XXI febris non rediit; pus, et si minus liquidum, tamen foedum sparsit odorem. Quo facto iniecta sunt et liq. chlori tepida mixtus aqua et Kal. hypermanganicum item attenuatum. Quibus remediis adhibitis magis magisque in dies ad sanitatem rediit aegrotus, ita ut die XXVI m. Junii, quum tunica sola circumdatus libra penderetur, pondus esset 56,0 Klgr. Itaque quum complures horas extra lectum posset degere, quotidie corpus tepida lavatione est recreatum, cavum abscessus Kali. hypermanganico tenuato detersum. De abscessus Laminaria digitata die secundo m. Julii auctum. Postero die quum iterum penderetur, corporis pondus erat 56,50 Klgr. Itaque quum minimum profluat pus, quumque morbus in dies recedat, fieri non potest, quin brevi tempore aegrotus iam non possit appellari aegrotus.

VITA.

Natus sum Guilelmus Strothbaum Warendorpii, d. XIV. m. Iulii a. h. s. XXXVIII, patre Guilelmo, matre Elisabeth, e gente Terbicke, quos morte valde praematura mihi ereptos lugeo. Fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis imbutus, Gymnasium Laurentianum adii Warendorpiense, quod adhuc floret Dr. Lucas directoris auspiciis. Testimonio maturitatis ornatus, tempore auctumnali anni h. s. LX Gryphiam me contuli, ubi a Rectore Magnifico Ill. Hoefer in civium academicorum numerum receptus et apud Ill. Haeser, gratiosi medicorum ordinis t. t. Decanum Spectatissimum nomen rite professus sum.

Per octo semestria hisce interfui scholis:

Ill. Baier: de psychologia et anthropologia; de logice.
Ill. de Feilitsch: de physice experimentali universali.
Ill. Muenter: de zoologia; de botanice; eundem in excursionibus botanicis secutus sum.
Ill. Huenefeld: de mineralogia.
Ill. Limpricht: de chemia anorganica, organisa; idem mihi dux fuit in exercitationibus analyticis.
Cel. Schwanert: de chemia pharmaceutica et analytica.
Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, myologia, splanchnologia; de physiologia; de anatomia organorum sensuum; de embryologia; idem mihi dux exstitit in exercitationibus cadavera rite dissecandi et in exercitationibus microscopico-physiologicis.

Ill. Schultze: de angiologia et neurologia; de anatomia comparata.

Ill. Haeser: de encyclopaedia et methodologia medicinae; de pathologia et therapia generali.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica generali et speciali; eundem ducem habui in cursu anatomico-pathologico.

Cel. Ziemssen: de diagnostice physicali.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi; de politia medicina.

Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice; idem mihi speculi ocularis usum tradidit.

Exp. Bengelsdorff: de arte formulas medicaminum rite concinnandi.

Exp. Heineke: de syphilide; de exanthematibus acutis; de morbis extremitatum.

Ill. Laurer: de materia medica; de arte fascias rite alligandi.

Ill. Pernice: de arte obstetricia; de morbis infantum; de morbis mulierum; idem mihi dux fuit in clinico obstetricio.

Ill. Ruehle: de pathologia et therapia speciali; de psychiatria generali; idem mihi dux fuit in clinico medico.

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali; de akiurgia; de herniis; idem mihi dux fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus instituendis atque in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago, nec unquam habere desinam quam maximas.

THESES.

I.

Deligatio funiculi umbilicalis haud negligenda.

II.

Ad hepatitidem suppuratoriam icterus raro accedit.

III.

Herniarum non incarceratarum operatio radicalis non est adhibenda.